

## **Disputatio inauguralis medica de dysenteria ... / [Friedrich Daniel Farber].**

### **Contributors**

Farber, Friedrich Daniel.  
Johrenius, Conrad, 1653-1716.  
Universität Frankfurt an der Oder.

### **Publication/Creation**

Francofurti ad Viadrum : Literis Johannis Christophori Schwartzii, [1713]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kkju5gvm>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

16  
8  
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

# DYSENTERIA,

Quam

*EX DECRETO GRATIOSISS. FACULTATIS MEDICÆ  
IN ALMA VIADRINA*

PRÆSIDE

*VIRO EXCELLENTISSIMO*

## DN. CONRADO JOHRENIO,

PHIL. ET MED. U. DOCT. FACULTATIS SUÆ SENI-  
ORE & PROF. PRIM. p. t. DECANO,

*PRAECEPTORE ATQUE PATRONO PIE  
COLENDO.*

### PRO GRADU DOCTORALI

UMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRI-  
VILEGIIS RITE ET LEGITIME CAPESENDIS,

Publicæ Eruditorum disquisitioni  
submittit

*Ad Diem VIII. Aprilis Ann. M DCC XIII.*


A U C T O R

## FRIIDERICUS DANIEL FARBER,

Detmoldiâ Lippiaco-Westphalus.

\*\*\*\*\*

*FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.*






## Proœmium.

**F**lexuosa ac convoluta in anfractum intestina perperam olim, *ut malorum in vita irritamenta,* susq; deq; habuit, damnavit, Gens Ægyptiaca. Hæc nimirum ductura exequias Nobilibus suis jam defunctis, dissesto apertoq; cadavere, exteratum ecce! ventrem, in arcâ privatim reposi- tum, attollens Solem testem invocat, uno ex libitinariis hunc in modū parentante: *O Domine Sol, vosq; Dij universi! qui vitam hominibus largimini, me accipite, & Diis contubernali futurum tradite. Ego enim Deos, quos mihi parentes com- monstrarunt, semper piè colui, quamdiu in hoc seculo vixi, quiq; sorbus genuerunt, semper honoravi: nec aliorum hominum quenquam occidi, neq; deposito fraudavi, nec aliud quidpiam inexpiable malum admisi. Si vero, dum vivebam, aliquid, quod fas non erat, vel edendo, vel bibendo perpetravi, non per me pec- tavi, sed per ista: arcam digito ostendens, in quâ venter positus erat. Atque hæc locutus in fluvium eam conjicit, reliquum autem corpus tanquam purum condiens.* vid. Plutarch. libr. Conviv. septem sapient. Porphyr. in quarto περὶ ἀποχῆς apud Petr. Petit. Miscell. Observ. L. I. C. VI p. 24. quibuscum conf. Inscript. memorabil. Græc. Romæ in horto Barberino invent. apud J. Spon. Miscell. Erud. Antiq. 118vam Sect. X. p. 371. Vele- nūm intestina, licet officio situq; & formâ varient, nihil aliud esse putavit, quam tetra scybalorum hospitia & squalida lardium receptacula, vel eadem instrumenta agnoscit (ut ex l.c. patet) perniciosa & occasiones luxu- riantis

riantis gulæ, de insigni aliàs illorū usū parùm vel nihil  
follicita. Non curavit ita functiones ventriculi insi-  
gnes, & proficuam tenuium intestinorum chyli ex eo  
per pylorum receptionem, nec scire voluit, admixtis in  
duodeno bile & succo pancreatico, per motū peristalti-  
cū continuas promotiones. Admirata certè haud fuit,  
nec ferè potuit subtilem ac egregium partis chyli sub-  
tilioris in venas lacteas introitum, sed scire saltem vo-  
luit magnam materiæ fœculentæ atque effœtæ quan-  
titatem homini molestam, sed cuius facta collectio &  
excretio felix quam optabiles sint, quis ignorat? Por-  
rò continent quidem intestina, æque ac ventriculus,  
irritamenta ad capiendum cibum, sed modicum, non  
superfluum ac supervacaneum, neque adeò etiam va-  
rium, undè pleraque corporis humani mala, seu mor-  
borum origo. Natura enim paucis contenta. Gulæ sc.  
immensæ invidia, & curiositas nimia hic culpandæ ve-  
niunt, citius & uberior tot morborum mala irritantes  
ac provocantes, paratis aliàs ad exequenda sua mune-  
ra ventriculo & intestinis, nî vel quantitatis vel qua-  
litatis materiæ obruantur vitiis, ubi tunc potius suc-  
cumbunt intestina, quām ut hujusmodi malorum esse  
queant irritamenta. Quæ mala cum numero varia  
sint, à quibus inter alias corporis nostri partes intestina  
etiam afficiuntur, singula verò considerare nimis lon-  
gum foret, notabimus in præsens ex multis, non minus  
grave, quam fœdum *Dysenteriæ* malum; cuius pro  
virili examinando irritamenta videbimus, num ipsa  
intestina talia pronuncianda, an verò aliundè illa deri-  
vanda, & quænam potissimum huc expectanda sint;  
præmissuri interim & addituri, quorum præterea ra-  
tionem præsens nostrum institutum postulare vide-  
tur. Faxit DEUS, ut feliciter, ita ex voto!



### §. I.

YSENTERIA, si vocis originem spestemus, ex pluribus componitur.  $\Delta\upsilon\varsigma$  enim prima particula est, quæ nullibi copiosior, quam in corporum nostrorum affectibus observatur, denotans quidem sæpiissimè imperfectionem ex difficultate, exemplo  $\delta\upsilon\sigma\pi\epsilon\psi\alpha\varsigma$ ,  $\delta\upsilon\sigma\gamma\epsilon\alpha\varsigma$  &c.

Sed quæ significatio, quatenus in genere facilitati opponitur, & quatenus, qui difficili alvo laborant, difficulter; dysenterici autem nimis facile, quippe etiam inviti, dejiciunt, minus videtur conveniens; contradicente licet *Cælio Aureliano L. IV. c. 6.* A difficultate, inquit, officii passio nomen accepit *Dysenteria*. Unde meritò *Scaligerum* secuti, *Comment. in Arist. Hist. de Animal. L. X. c. 43. p. 1122.* particulam  $\delta\upsilon\varsigma$  non æquè hic difficultatem, ac morbi malitiam significare pronunciamus. Hæc autem, cum pessimum intestinorum statum exprimat, copulatum sibi habet proximum vocabulum  $\epsilon\nu\tau\epsilon\rho\sigma$  intestinum, ab  $\epsilon\nu\tau\omega\varsigma$  intus, quia in internâ corporis parte

A

abdo<sup>o</sup>

abdominis cavitate & capacitate sita sunt. Cui non nulli addunt tertium πόρειν fluere, q. d. διὰ πέντε πόρους, quo ipso etiam ipsum alvi profluvium, affectui nostro summe proprium indicari, nī rigidam nimis exercere velis crīsin, medicè saltem verum est.

## §. II.

Nomina alia, quæ fortitutur, sunt *Tormina*, (Non. Marcell. dixit *Tormines p. m. 16. No. 5.*) quo Latinè expressit vocabulum *Cels. L. IV. c. 15.* eò quod dolore torqueat homines: *Passio dysenterica*, *Pallad. L. III. c. 31.* quemadmodum Dioscorides per περί Φραστῶν Δυσεντερικῶν πάθος appellat: *Rheumatismus cum exulceratione*, *Cael. Au rel. l. c. ἐληωσίς τῶν ἐντέρων Exulceratio intestinorum*, *Galen. L. VI. de L. A.* Vulgo *Profluvium alvi cruentum*, *Fluxus alvi Dysentericus*. Nobis verò liceat *Dysenteriæ* in præsens, ut jam fecimus, vocabulo uti, quoniam hoc civitate jam dudum à Latinis donatum, sub quo omnes hæ recipiatæ denominationes simul comprehenduntur, Medicis omnibus non potest non esse notissimum.

## §. III.

Neque enim ab hujus usu nos deterret generalis illa, de quâ apud Galenum *L. III. de Causs. Symptomat.* gloriatur significatio, latè omni alvi profluvio, quod cunque fere sit, solis hæmorrhoidibus, quibus etiam nunc sua stat auctoritas, exceptis, cruento communis, quale v. gr. *spleneticorum, melancholicorum* & *dysenteriæ scorbuticorum nothæ*; it. quæ in mensium suppressione, vel ulcere *mesenterii*, aut *Pancreatis* observari solet; non excluso *Fluxu hepatico*, quem ex hepatis imbecillitate & atoniâ, sanguificatione falso adscriptâ, derivabant Veteres, excretionē sc. sanguinis aquosí, tenuis, loturæ carnis instar animalium recens maestatorum. Sed cuni usus obti-

obtinuerit, ut propriè & speciatim tantùm accipiatur pro vitio intestinorum, quo hæc erosionis vulgò & exulcerationis postulantur, ac proinde fluxus, cum dolore & torminibus, sanguinolenti & muci albidi, plus minus purulent, monuisse sat est, esse hunc, qui modò considerationi atque exercitio nostris subjicietur, esse, quem Germani vulgò vocant, Rothweh / Blutgang / Blutiger Aus und Durchlauff & frequentissime, die Rothe Ruhr à Röhren comovere, miscere, quo turbulentam fluidorum heterogeneorum mixtionem, vel commotionem, unicam fluoris hujus rubicundi causam, indicent.

#### §. IV.

Definimus autem nòs Dysenteriam, quoad 1. in ea notamus dejectiones alvi frequentes. 2. Agmen ducent dolores & tormina. 3. Ipsæ dejectiones non sunt tercorosæ, sed nunc simpliciter mucosæ, nunc internistæ, nunc simpliciter sanguineæ, (hinc alba & cruenta dicta) & sic à Diarrhæâ, cum quâ initio sæpè conunditur, Lienteriâ, Passione cœliacâ ac cholera sepsam distinguit, quod sit *Dejectio alvi frequens, torminosa, mucosa, plus minus cruenta.*

#### §. V.

Ex quâ patet definitione, duplícem omnino in mni dysenteriâ morbum esse agnoscendum, alterum inguinis, laborantis apostasi, quatenus diversæ ipsi intent indolis particulæ, omnium tamen vitae, adæquatæ cuivis individuo proportione, conformes, tam diu integrâ, quam neutræ harum vel quantitate, vel qualitate, aut motu peccent; turbata vero, quoties, onnubio hoc soluto, modò hæc modò illæ partes in dysenteriâ serum seu mucus ad secessum disponuntur:

tur: Alterum *intestinorum*, quatenus seditiosum hunc & à sanguine secedentem excipiunt humorem, de quorum structurâ, situ, connexione ac vasis tam propriis, quam communibus, varia & curiosa hinc indè Anatomicorum consulenda sunt studia atque observations.

### §. VI.

Jam verò, cum duplia ab authoribus recensemantur alia *tenuia*, *crassa* alia, quæritur meritò, quænam fortassis in hoc affectu afficiantur intestina? ubi sunt, qui tenuia, alii, qui crassa, alii, qui utraque affici contendunt. Utraque sanè nunc seorsim nunc conjunctim affecta præterquam quod observaverint ii, qui ejusmodi cadaver artificiosæ sectioni subjeerunt apud Bonet. in sepulchret. Tom. I. L. III. S. XI. p. 853. I. ad sunt quoque signa, quæ tum intestina simul omnia, si non tota, tamen singulorum partes, tum partem in specie correptam loquuntur, hæcque denunciatur à dolore, loco doloris, tempore exitûs excrementorum & horum variâ mistione. Intestina quævis pati, sunt qui ex dolore lancinante undique, seu vago & ante excretionem sentire atque colligere volunt. Tenuia laborare evincitur, si dolor præsens, intensus, acutissimus, vehementissimus, non alter ac videantur cultris hinc indè discindi aut quasi aciculis pungi, idcirò quia gracilia sunt, & sensu magis exquisito prædita hæc intestina: Si circa umbilicum & regionem hypogastricam, ubi ilei & jejunius, hic magis eminet dolor: si tardior post dolores & tormina, ob longiorem à superioribus intestinis ad anum viam, contingit excretio, & si in hâc sterco, sanguis & mucus permista magis & confusa invicem;

item

item excrementa nonnihil chylosa cum ramentis tenuioribus prodeunt, atque demum, si ad vomitum stimulantur ægri, propter partium vicinitatem, & magis anxiousi sunt, hincque medicamenta *avaleantur*, quod quidam addunt, gravius in curatione pondus habent. Econtrario crassa potius ægrotare intestina credere jubent dolor paulò remissior & nonnihil obtusior isque infra & juxta stomachum & utrinque juxta latera, maximè sinistrum, secundùm nempe coliculum, & frequentior, quæ urget, egerendi cupiditas atque subsequens dejectio celeris atque subita, odore non adeò gravis. Accedit, ubi excrementa minus sunt confusa, sed potius adsunt vestigia certa & aperta, quibus crux & mucus à se invicem distinguuntur, dum vel circum circa adhærent, vel leviter permisti interdum antè, nonnunquam statim post excremeuta exeunt, atque ubi tandem clysteres potionibus utiliores & magis salutares observantur.

## S. VII.

Neque verò solùm intestina, sed & aliæ partes in dysenteriâ afficiuntur, quas inter nonnunquam ventriculus, pulmones, jecur, lien &c. ut exinde satis constet, intestina nunc per *idiontaciam* affici, quatenus materia acris & erodens vel in cavitate colligitur, vel in intestinorum substantiâ generatur; nunc saltem per *ovumtaciam* pati, dum ex aliis partibus, imprimis massâ sanguinea èo mittuntur humores acres ac erodentes, alias sanè etiam per se lædi & unâ etiam per consensum, quatenus sc. ab externâ causâ pituita intestinalis acris evadit, vel ipsa materia externa per se est acris & erodens, ac deinde propter factam

¶ [o] ¶

irritationem confluunt ex massâ sanguineâ & aliis partibus humores vitiosi & copiosiores.

### §. VIII.

Ad causam infaustâ hujus per sanguinem excretionis, sc. Dysenteriae, efficientem proximam, seu formalem, quod spectat, accusamus spiritus intestinalium substantiæ influos, motus peristaltici autores, excretionis proficuae admodum naturalis promotores, qui in hoc affectu irritati locum majoribus copiis occupant, & qua quaversum inibi propulsi & nullibi quoque exitum invenientes motum adipsuntur inordinatum, auctum & coactum, dolores tormentinos creant serumque seu humores corruptos atque ipsum sanguinem à totâ circumeuntis sanguinis massâ ad cavitatem intestinalium invitant, se jungunt atque segregant. Hi enim prout actionum sanarum spontanei, ita etiam morbosarum inviti autores existunt, quemadmodum etiam præternaturalem horum spirituum impetum crebrior & convulsiva quasi indicat excretio. Hinc est, quod Veteres causam immediatam proximam dixerint irritationem continuam facultatis expulsive intestinalis, quam Helmontius ejusque asseclæ per indignationem Archei intestinalis, à causis occasionalibus lacesisti, exprimunt; utrique, nî animati quid, aut ratione prædicti subesse fingatur, in causâ nobiscum determinandâ convenientes.

### §. IX.

Causam particularem seu universalem, quodnam sc. spiritibus in hoc affectu afferat motus horumque amicam ac suavem alioquin in statu naturali conjunctionem perturbet, relictis in medium Æ Chymicorum

rum simulque Paracelsistarum resoluto, Helmontii acore p. n. Archeum furiosè irritanti, Sylvii duobus pugilibus, bile & succo pancreatico & alterutro contuso, Willisi succis, nervoso & nutritio, redundantibus, stante tamen suâ cuique opinione, determinamus *acre* quodcumque *internum*, intestinis, ut pertinaciter adhærescat, affixum, ut in tantum continuò pungat, vellicet, stimulet, arrodat, ut post sufficientem factam excretionem solutio continui immineat, undè dolor & tormina, ut læsio per solutionem ipsam accidat, undè sanguinis effluxus sequitur. Atque ut exemplis simili bus hoc illustrem, notum est ac vulgare, quām ii, qui justò acriora naribus admovent sternutatoria, ob exigiam & crebrò præsentem, quam patiuntur, convulsionem, humorem copiosorem subsequentे sanguinis fluxu emungant. Observatur non semel, ut purgatione ab imperitis exhibitâ, plusquam decet, acri, violentia intestinorum, qua spasmo afficiuntur, vellicatio fiat, quam denique hypercatharsis cruenta supervenit mala plerumque ac periculosa.

### §. X.

Acre autem hoc singulari qualitate præditum sit oportet, non aliter ac cantharides peculiariter offendere solent vesicam urinariam. Acre ergò hoc in specie erit, quod membranis intestinorum nervisque naturā suā inimicissimum, hocque *acidum* esse quis negabit? Hoc enim quocunque errore ad intestina perventum membranas nervosas pungit, vellicat, ita quidem, ut ad sanguinis prodigiam disponat. Probant hoc ipsum mulieres hystericae affectibus intestinorum spasmodicis obnoxiae, quæ ob acres & acidos succos, plus minus exagitatos, facile graves dysenterias incurront. Quibus

[o]

bus accensendi prægressi morbi ex acrimoniam faugui-  
nis acidam oriundi, quibus tanquam symptomam superve-  
nit dysenteria, id quod practici observarunt in variolis,  
morbillis, scorbuto, hæmorrhoidibus aliisque.

### §. XI.

Enimvero, cum dysenteria alia sit sporadi-  
ca, communis alia, hæcque vel endemia, vel epi-  
demica, distin<sup>tio</sup> hæc diversitatem quandam causæ  
materialis postulare videtur. Quare primo loco nota-  
mus, in dysenteriâ sporadicâ acre hoc acidum *virtute*  
*pollere plus minus corrosiva*. Hinc esse asserimus,  
quod dolores irritatione suâ nimiâ eò majores, excre-  
tiones eò frequentiores, erosione suâ vehementi ex-  
coriationes magis felices atque per has hocque sal-  
tem modo sanguinis effluvia reddat. Oritur hæc vel  
ex succo pancreatico, per se tali, haud sufficienter à  
bile temperato, seu eodem copiosiori, ab irritantibus  
purgantibus in intestina effuso: vel dependet ab hu-  
moribus biliosis, serosis & pituitosis. Hi enim quan-  
titate & qualitate peccantes & ad intestina delati diu-  
tius illis adhærentes plusplusque depravantur, ace-  
scunt, exacerbantur, atque sic exacerbationem,  
causâ præcipue aliquâ accidente externâ, haud dif-  
ficulter inducere, & vel soli, vel duo posteriores cum  
bile mixti dysenteriam producere possunt. Vel as-  
sumuntur talia acria, acida, corrosiva, eaque aut  
substantiâ talia, aut rerum figurâ æqualium, aut corru-  
ptarum, aut in acorem peregrinum degenerantium.

### §. XII.

Pertinent huc primò, præter *Venena*, Purgantia  
fortiora, quæ irritando acrius & vellicando intestina  
acrium succorum ad ea derivationem promovent,  
dylen-

\* [10] \*

dysenteriam non raro inferunt. 2do res toto genere  
præter naturam dictæ, à quibus licet rarissimè, dys-  
enteriam subortam Authorum evincunt monumen-  
ta. Sic legimus relictam ab annuli aurei asperitate  
per jocum deglutiti, faciem alvi cruentam, & con-  
citatam ab adamantibus impolitis, nec minutissimè  
tritis, malo dolo devoratis; ut & à solo vitro non ri-  
tè comminuto', dysenteriam. Corpora enim hæc  
singulari instructa angulorum acie intestina notabili-  
ter incidunt, sauciant, perforant, quo etiam factum,  
ut supervenientibus postmodum febri & inflammatio-  
ne, alterum quoque dictorum fluorum gravem reddi-  
derint, ac mortiferum. Quibus addenda esse viden-  
tur rostella hamata vermiculorum alborum rubro-  
rumque unà cum excrementis alvi (præsertim in dy-  
senteriâ malignâ) quondam conspicuorum; it. rostra  
vermium nefcio cuius omnia figuræ, acuminata ad  
pugendum & vellicandum apta, à quibus aliquando, etiam  
ascaridibus, per intervalla dysenteriæ datæ  
cauſſæ mentio fit. Verum dubitamus, vermesne  
hic à dysentericis rejeſtis cauſſæ, an potius produci  
morbifici titulum mereantur, cui posteriori senten-  
tiæ eò facilius subscribendum, quò clariùs evadit,  
eorum ovula mollius non, nisi in rebus cubare cor-  
ruptis & putridis, ubi potentiam explicandi ſeſe evol-  
vendique acquirunt. Horum præſentiam testantur  
quidem signa, quæ prostant, pathognomonica ple-  
rumque non incerta, sed qui post diligentem ex-  
cretionem, vel intestinis & eorum muco tenaciter  
adhærentes, vel in globum velut condensati, raro  
apparent. Ut probabile fiat inde, quicquid assumitur,  
quantocyus ad partem intēstinorum affectam affluit,

eâdem etiam elabi celeritate , intaëtâ reliqtâ omni viscosâ & tenaci materiâ. 3tiò illa , quæ facillimè corrumpuntur, & corrupta , vel incorpore alterata & non ritè digesta , intensum acorem contrahunt , exque his fructus in primis hortenses , nimiâ quantitate ingesti , pepones , melones , cucumeres , pruna rubra , & quam præ aliis vulgus detestatur , pruna cerea præcox (die Spillinge) Hinc attendenda scholæ Salernitanæ admonitio :

*Autumni fructus caveas , ne sint tibi luctus.*

Quò porrò faciunt pinguia frequenter & copiosè ingurgitata , ut & dulcia facile in liquamina corrosiva degenerantia , saccharum ; it . cibi dulces & melliti in stomacho corrupti , hypochondriacis imprimis & hysterics molesti , in quibus subiectis vitiosâ fermentatione vel nimis acescunt , vel iui commissione cum bile orgasmum excitant , & intestina nimis movent . His annumerantur carnes putridæ , ex quarum esu in Indiam orientalem navigantes Dysenteriæ obnoxii facti ab hodæporicis commemorantur ; carnes animalium cassiâ fistulâ nutritorum in Ægypto , Novâ Hispaniâ & Indiâ potissimum orientali . Faciunt aquæ damnum cruentum pisces semiputridi & casei verminosi , it . fungi ; detestanda est Ostrearum & piscium marinorum valdè avida deglutitio , it . acrum nimisque salitorum ciborum esus insolitus , qui vellicante ac stimulante suâ vi intestinis dicam scribunt . Nec omni noxâ carere potulenta , loquitur communis ex assiduis compotationibus , ex aquæ frigidissimæ continuato potu , ex aceti austeri & cerevisiæ novellæ nondum defæcatæ , vini etiam acidi & cuiusvis malæ notæ , variorum item ex fructibus expressorum ,

musti

multi vinosi, pyracei &c. usu nimio profluens sanguinis ex alvo cursus. Rarioris casus locum occupat dysenteria, quæ juxta authores nonnullos prius agnovit vinum in vase cupreo in puteum frigidissimum demersum; it. aquas valde crudas aut minerali aliquo infectas, inque potum ordinariè vocatas; aquam, vinum seu acetum in plumbeo vase asservatum. Cui adjicitur, quæ ex aquâ ex nive liquatâ copiosiori haustâ, it. quæ ex acidularum abusu frequens, & nonnunquam insolens lethalis observata fuit. Atque hæ præcipue sunt caussæ remotæ, quæ, sive errore externo, sive interno dysenteriam inferrunt, ita dictam, benignam, in quâ peccat acidum acre, quod dum in intestinis intestina pungit atque vellicat, serum ac humores allicit, dum erodit atq; excoriat, hoc saltem modo sanguinis fluxum provocat.

### §. XIII.

In epidemicâ autem dysenteriâ (endemiam non tango; eò quod regionibus nostris non sit communis, qualis illa Hybernorum, cuius meminit Sydenham in Opusc. & quam examinasse dicitur Borlassus Tract. de Hyberniâ, quamque de agro Tholoffano confirmat Vorandæus de morb. Intest.) vices caussæ particulares seu occasionalis æquè quidem obtinet Θacidum, sed penè acerrimum, intestinis specifico suo sapore maxime infusum, idque sub mole minima efficacissimum. Hoc sc. tanquam miasma quoddam, sanguini impressum, adeòque intimè ipsi confusum, inde ad intestina latum, illis imprimis inimicum acrimoniam acidam hostilem affert, intestina continuò tamque fortitè vellicat, stimulat, ut ex irritatione & crebriori contractione

seu repetitis spasmis non possit non copiosior sanguinis fluxus excitari; undē, tumentibus sanguine intestinis, eadem rubent & non raro inflammantur, & per aperta partim, partim erosâ vasa cruorem profundunt, quæ sc. cruris profusio est consequens saltet, seu effectus alterationis seu vellicationis intestinorum, ab acri rodente in benignâ, & miasmate virulento in malignâ dysenteriâ, ita tamen, ut in hac ad fundendum sanguinem non opus sit prædictâ ex coriatione. Absurdumne hic erit, an vero consendum, si fluorem istum sanguineum in epidemiam hâc cruentâ, qui prodit ex intestinis, eâdem ratione contingere statuamus, quâ hæmorrhagia narium? Compertum enim est, nonnullos arteriarum carotidum ramos disseminari per universam tunicam glandulosam, quorum præclarum officium est non solum calorem & alimentum afferre partibus, sed & alter subest usus, sc. plurimum serî deferre ad glandulas papillares; quapropter illarum oricia admodum hiare oportet. Eadem certè ratio est arteriarum mesentericarum, quibus cum officium commune est, plurimum serî, pituitam aliquosque humores supervaneos, aut vitiosos, naturaliter adducere ad intestina. Sanguis autem, si quantitate peccaverit, vel qualitate, vel impetu nimio creatur, vi viam sibi querit, & conficit per utriusque dictos ramos arteriosos. Ecce! in dysenteriâ epidemicâ dum miasmatis similitudo in motu & mixturâ cum sanguinis particulis intercedit nulla, neque adeò inter se convenire mutuoque congressu amplecti queunt, illicò sequitur in adversum conflictus & quidem major, quod sanguinis particulae magis sibi adhærentes & parti-

culæ

culæ illæ hostiles pertinaciis insurgentes, ab utrâq; parte potentius operantur. Succumbit verò hoc in casu sanguis, velut in peste corruptus, humoresque statim à reliquâ hujus massâ, ne tota subinde labefiat, secernuntur. Subjectum itaque epidemicæ dysenteriæ primarium est ipsa massa sanguinea, dum sc. spiritus vitales, qui subtilissima & maxime activa sanguinis portio habentur, contagiosis effluviis atque exhalationibus ex infecto corpore emissis conspurcantur, atque hâc ratione fermentatio motusque p. n. & miasmatica dispositio sanguini ac spiritibus humoribusque cæteris imprimuntur.

## §. XIV.

Hæc tanta miasmaticæ hujus forditiei efficacia pariter in sanguinem ac profluentes inde humores, pariter in bruta ac hominum corpora sœvit, non tamen semper eâdem malignitate, ast pari ferè semper contagio. Hinc epidemicæ dysenteria alia est maligna, benigna alia, utraque insigniter contagiosa, nunc cum, nunc sine febre affligere consueta. Malignam equidem hic locus & abhinc septennium in memoriam revocat, benignam, qui modò præsens fuit, autumnus præse tulit, cuius occasione ei, qui delectatur numeris, ex septenario mysteria eruere licebit. Illa multos furibunda aggressa plurimos trucidabat, hæc plurimos adorta non ita multos sustulit. Maligna enim plus habet in recessu, utpote quæ virulenta & quasi pestilens plures interficit, & quæ miasma suum hujusque vim per contagium magis propagat latiusque explicat. Quandoquidem omnia corpora, & sic quoque nostrum poris constant & materiæ subtili pervia sunt, unde radios quosdam siye effluvia

cum vehiculis indefinitis ex corporibus & nostro etiam egredi, egressamque in alia potius similia cognataque operari, sole meridiano clarus est: Corpus quippe & configuratione partium avidius illud recipiet, quod sibi quodammodo proprium est. Neque minus juxta diversi specie miasmatis activitatem in fermentando se seque multiplicando, ætherisque constanti cursum epidemia dysenterica observabitur plusminus contagiosa, maligna, atque pestilens, eaque aut solos homines occupabit, aut brutis juxta æconomos, solis animalibus domesticis v.g. canibus, felibus, aliquando etiam juxta veterinarios equis, item bovino generi &c. infesta erit.

### §. XV.

Cum verò omne contagium, quicquid agit, contactu miasmatum suorum præstet, scire non ita pœnitabit, hoc contactu vel immediato, vel mediato de-  
mum inficere. Immediato contactu contagiosa certò refertur ab authoribus dysenteriæ, vel ob vaporationem malignam ex excrementis morbidorum factam, partim per ipsum anum in loco, ubi excre-  
menta dysenteriâ laborantium jacent recondita, ex-  
ceptam, partim inspiratione simul ex incautâ ex-  
crementorum inspectione intra corpus admissam;  
vel ob non benè abluta & purgata clysterum instru-  
menta, quibus dysenterici usi fuere. Hæc etenim cum necdum ab omni spiritu libera existant, sed potius portionem quandam retineant, hinc propter pulsum in universo continuum, quâ datâ portâ, in nobilissimas corporis partes lese recipiunt insinuant-  
que, & sanguinem reliquaque fluida abominandâ spur-  
citie suâ offendunt. Mediato autem magis contactu afficit,

afficit, quando virulentum hocce miasma per aëra, nunc totius regionis, nunc urbis, quo modo etiam à confortio ægrorum maximè remotos corripit, nunc hujus illiusve saltem domicili di persum est, quo, qui adstant & inserviunt cum Chirurgis, Pharmacopæis, Medicisque, servos, ancillas, omnium verò maximè consanguineos invadit, quia vehicula illa miasmatis per aërem delata velocius feliciusque opportuna subintrant loca, qualia jam consanguineorum censentur maximam partem esse corpora, nisi & in motu ac figurâ plurimum differant.

### §. XVI.

Quod verò febris hoc in casu fiat, vehemens admodum, si æger ætate floreat, vel cardiacis incalefacat, (eaque interdum petechialis) haud difficile quisque percipiet ipsam ob particularum sanguinis secessum fieri. Hæ enim hic loci retentæ minus circulationis leges absolvunt, verum & in figurâ & motu mutatæ omnia inordinata producunt, acescunt, & fiunt corrosivæ, fibras partium carnosarum atque etiam nervosarum dissolvunt, & quidem ut in cincinnos resiliant, sanguisque priori contrarium necessariò acquirant, faciunt. Hinc aliæ particulæ antea per illas partes fluere solitæ, maximam partem in motu suo impeditæ & accumulatæ ignem igni, malum malo addunt. Jam verò, cum nihilominus propter circulationem pars quædam humorum continuò cum vehiculis insolitis, purulentis nimirum, vel partim corrosis particulis, jam excrementis factis, usque valde heterogeneis in sanguinis massam propellatur, & spiritus eorum interstitia perfluens toto genere alium sanguinis massam perfluentem oppugnet, nil certè aliud, quam insultus

sultus illos febriles exspectabimus, teste Sene; *dum prius fit, febres fiunt, confecto pure minus.* Prout autem partes magis magisque inficiuntur, imò à crassis intestinis ad tenuia, & nonnunquam ad ventriculi substantiam usque morbi fomes ac focus proserpunt, sic etiam ob puris generationem affectus exacerbatio distinguitur, & quò quidem illa puris generatio major fuerit, eò quoque febri magis vel minus affligitur patiens. Comitatur lingua subalbida, mucilagine dense obsita, & si vehementius æstuet corpus, nigra etiam & sicca observatur. Prosternuntur vires, dissipantur spiritus, vigiliæ mirum quantum vexant, anxietas & quietudo hinc inde corpus jactant, sitis arida miseros torret, magnum certè periculi præsentis indicium. Aphthæ nonnunquam oris interna faucesque (aut intestina) obsident, præsertim ubi materiæ peccantis evacuatio adstringentibus præpostere impeditur: interdum progressu morbi sanguis sincerus confestim effluit, præsertim si majora vasa corrodantur: aliquando ex inflammatione gangrenâ incurabili afficiuntur intestina, & si accidit, ut ad rectam successivè simul propagetur malum, ægri ordinariò dolorem tensimi acerbissimum incurront. Supervenit non raro ani procidentia, appetitus prostratus, interdum nausea & vomitus urgent, non raro succedit singultus, tanquam pessimum signum, & cum vigiliis interdum deliria, & tandem quoque lethales convulsiones. Cunctæ verò hæ & prædictæ qualitates pravæ seu symptomata, quæ facile se produnt, intensum calorem arguunt, ac magnam in massâ sanguineâ ut & visceribus confusionem.

Oriuntur hujusmodi epidemicæ dysenteriæ ex caussâ plures affligente, in quorum sc. corporibus exaltatum miasma fermentativâ vi sese multiplicat. In primis animadverti meretur aër plus minus p. n. alteratus, cujus inæqualis constitutio semper magnum parit incommodum, & quatenus alimenta inquinat, aquarum vitium ac fructuum hortensium corruptela & inquinamentum: sic principem obtinet locum aëris non minus ingens caliditas, quam frigiditas; quarum illa non humoribus tantum, verum etiam massæ sanguineæ, quam nimis fundit & attenuat, fermentationem p.n. inducit; hæc verò non saltem propter natâ indè tormina humores ad intestina abripit, verum etiam ob denegatam satis liberam transpirationem magis seruos fluidosque humores cumulat atque adauget. Enim verò non simplex talis aëris siccitas, neque simpliciter frigus tale per se dysenteriam producere solet, sed ea solum aëris intensè calidi constitutio, quæ sicca, maxime diurna, & quam frigus acre intensem, sine singulari qualitate aëris interveniente mediâ, subito excipit. Ubi non minus è contrario valet frigoris acerrimi cum intensiori æstu commutatio, quam, licet rarius, aliquando in primo vere experimur; si nempè nimis gelido & intolera bili hyemis frigori aura vernalis derepente superveniat. Hinc Hippocrates Se&t. III. Aphor. 11, 12.  
*Si hyems sicca & aquilonia, ver autem pluviosum & australe fuerit, æstate necesse est febres acutas fieri, & ophthalmias & dysenterias, mulieribus præsertim, viris naturâ humidioribus. Item; Si australis hyems & pluviosa, ver autem fiscius & aquilonium, dysenteriæ fiunt.* Quorum effatorum con-

sfirmationem satis effectuosam suggesterunt anni 166ti  
æstas & simul dysenteria per potissimas Europæ par-  
tes æstuans, ut & constitutio anni illius seculi 76ti  
ac 84ti hyems frigidissima, ver subsequens siccissi-  
mum, & æstas tota calidissima. Quænam tempesta-  
tum currentis nostri ad finem anni ratio fuerit epi-  
demica? referre multis supersedemus, dum quilibet  
æstatis incommoda & molestias passus, post improvi-  
sum frigus, eò gravius plurimi gravissimum exin  
dysenteriæ malum tulére. Verum ut ut omnibus  
cœli constitutionibus dysenteriam excitari posse  
compertum habeatur, plerumque tamen in fine æsta-  
tis, & autumni initio caput extollere Medici suo tem-  
pore de hoc morbo debellando solliciti, unà cum ipsâ  
vulgi experientiâ, testantur. Deinde aëra secun-  
dant, quæ communiter perhibentur venenata, & ex  
illis ros quidam singularis, quo aliquandò brasifca ca-  
pitata infecta, escas confiendo noxias, dysenteriam  
publicam lethalem fecisse legitur. Rubigo & uredo  
post diuturnam siccitatem & aërem squalidum supra  
fruges vineasque deciduæ, seu miasma malignum  
evaporans ex terræ superficie foliis arefactis instar ar-  
senici adhærens, quot dysenteriæ nonnunquam sti-  
mulos admoveant, præterquam quod Poëta canit:

*Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos  
Effet rubigo,*

Narrat in specie historia anni seculi præcedentis 24ti  
& 66ti ob corruptos post aërem squalidum fructus  
& inde sævitiem ortam memoratu digna. Rarissimus  
casus est, quem adnotavit Paulinus in *Append.* M. A.  
N. C. *Ann. VI. Dec. II. obs. 25.* ubi grandior quædam  
musca insidens manui nobilis fœminæ acriter pun-  
gens,

gens, pulsā, tumorem prius induxit insignem cum malignā inflammatione, post verò ægra, prægresso ingenti ventris dolore, purum tandem excrevit sanguinem; quo factum, ut ex hâc demum, quæ vel inviserant, vel infervierant, & ex his proximi pagi incolæ dysenteriam incurrerint. Non fuiusquidem nos operosi in examinandis variis generis ēstum nostrum vagabundis muscis, interim dari nonnullas, quæ perictum & vulnus sæpè & nimis lædant, tot ubique æstivo tempore obvii ex inflammatione buccunes testes esse possunt.

### §. XVIII.

Restant ex causis utriusque dysenteriæ mediatis remotioribus, quæ ad has nimirum disponunt, recensendæ ex rebus naturalibus. 1. temperies; quæ in hoc passu calida æquè, achumida apta dicitur, & biliosa, falsedinem acrimoniamque sanguini suppeditans. 2. Ætas omnis; præsertim verò accusatur puerilis, eò quod magis sanguine & excrementis abundet, nec minus inde ipsi pleraque contingent profluvia; & juxta Hippocratem Sect. III. Aphor. 30. ætas præcipue virilis sive perfecta ansam præbet. 3. Sexus; qui uterque conspirat, fœmineus tamen magis ob raritatem sc. corporis, ob animum præ viris impotentem, in vetita proclivem, vietum etiam deteriorem nonnunquam desiderantem. 4. Habitus corporis; ut, qui obesiori sunt præditi, aut qui nimium gulæ indulgent, vitiumque aliud in hypochondriis fovent, facilius certè corripiantur. Ex rebus non naturalibus supersunt somnus & vigiliae, quæ si modum excedant, retardando impediendoque chylificationem, non ultimum ad inducendum hunc mor-

bum locum obtinent. Porrò quies nimia digestionem imminuens, & excrementa præter fas coacervans, ut & vehementiores tam corporis, potissimum aëre æstivo, quam animi motus v. gr. exercitia diuturna, equitationes, præsertim in equis succusoribus, cursus & saltationes excedentes &c. quæ cuncta partim spiritus atque sanguinem, & quicquid in corpore humorum latitat, supra modum commovendo turbant, undè in dispositis facile dysenteria unà cum febre excitari potest, partim spiritus dissipant, appetitum destruunt, atque ita absolvendæ digestioni minus idoneum reddunt ventriculum, cruditates cumulant, sicque dispositionem inducere valent. Similiter ira insignis hīc est efficacjæ, cui manus porrigit curæ, metus, terror, & tristitia. Nec prætereunda excernenda, ad quæ etiam fluxus hæmorrhoidalis & fœminarum menses pertinent, quorum sc. justo diuturnior in corpore retentio, corruptio & acrimonia non parum ad affectus hujus generationem conferunt.

### §. XIX.

Differentiæ ex recensitis facile colliguntur; quare iisdem hīc multum immorari vix operæ pretium erit. Sufficit, si exploratum habeat Medicus, utrum præsens dysenteria sit incipiens seu recens? quando nempè abest adeò frequens & torminosa excrementorum cum sanguine dejectio. An verò confirmata? quando in augmento & statu morbus est, & frequens adest humorum excretio: Num intensa? quæ ita insignis est, ut intestina velit quasi disrumpere; sed num remissa? in qua dolor ac dejectio remittunt: Sit continuata & sine intermissione, quæ communis illa & vulgaris? an periodica? quæ certo

certo & notabili interjecto temporis spatio ægrum apprehendit. Criticane, an symptomatica? solitaria, vel simplex? h. e. nec morbo alio stipata, neque multis circumdata Symptomatibus? an comitata, alia cum febre, & sine hæc alia? modò cum materiâ paucâ, modo multâ. Sciat oportet, quænam dysenteria intestina nunc crassâ occupet, 'nunc conficiat & excruciet tenuia? aut quænam ultraque laceffat? ita, ut ventriculus etiam ac vicinæ partes trahantur in consensum. Investiget, quotuplices sunt dysenteriæ cauſſæ, totuplices etiam ac varias hujuscemorbi differentias. Alia enim dicitur publica vel epidemica, privata alia vel endemia: alia notatur benigna, maligna alia: alia cum dolore & quidem ordinariè, indolens alia seu sine doloris perceptione.

### §. XX.

Signa diagnostica informabunt nos 1. quando adventus dysenteriæ sit in expectatione? s. quando brevi sit ad futura? quod fieri cognoscemus, ubi leves horripilationes, ventris intestinorumque dolores, lancinationes, murmura ac borborygmi præcedunt & sentiuntur; ubi præcordiorum molestia, ciborum fastidium, somnus interruptus, inquietudo, in nonnullis sitis & calor corpus premunt atque exagitant; ubi frequens præstò & cacandi cupiditas efficer quicquam in suâ cauſâ haud potis; ubi insolito mœstitia ac tristitia gradu ingrediuntur tempus æ gri, aut ubi ipsâ jam infestantur diarrhæâ, quam præcurrere plerumque necesarium dicit. 2. manifestabunt, quandojam præsens adsit dysenteria? idque optimè præstabunt excrements prodeuntia cum ingenti intestinorum depressione, dolore, ac molestissi-

mo viscerum quasi omnium descensu, in principio morbi flava vel alba, ut in diarrhæâ fieri afolet, quæ sequuntur spumosa, post mucosa, eaque pingua quasi, vel spermatis ranarum instar, vel albuminis ovi, vel fibras quasi plurimas, tandem pelliculas carunculasque ostendentia, quædemum omnia excipit crudor, modò copiosior, modò parcior, nonnunquam verò planè nihil ipsius.

3. An epidemica maligna & pestilens seu contagiosa sit dysenteria? Colligetur ex eo, si multis in eâdem regione commune fuerit malum, pluresque cum symptomatis pejoribus & malignitati propriis moriantur.

4. signa causarum discimus ex ( $\alpha$ ) ægris, iisque assidue inservientibus, de assumtis, vietū & vivendi modo examinandis, ( $\beta$ ) præcurrentibus l. præsentibus anni constitutionibus, ( $\gamma$ ) bene considerandâ ægrotantium idiosyncrasia, & denique. ( $\delta$ ) ex ipsâ excrementorum diversæ texturæ & conditionis inspectione.

5. An ab inflammatione ortum trahat Dysenteria? ex siti intensâ, febre, ardore, æstu & dolore pulsatili circâ loca affecta exquisitissimisque cruciatibus percipitur.

6. Quomodo ac quibus signis à reliquis cruentis alvi fluoribus se se eadem distinguat? constat ex eo, quod in dysenteriâ propriè dictâ parum sanguinis cum variæ consistentiæ mucosis; ast sæpius & maximo cum dolore excernatur, cum è contrario in illis nunc sanguis copiosior & sincerus magis, nunc serosus & instar loturæ carnium, absente vulgo notabili, nisi quodam gravativo, dolore, nec adeò sæpè prodeat.

A fluxu hæmorrhoidalí se ipsam secernit, quod in illo præter sanguinem seorsim, & purum nonnunquam copiosiorem prodeuntem, fæces naturalis sint consistentiæ, ac insuper mate-

materia sine ullâ intestinorum peristole omni diiectio-  
ni, maximè dysenteriæ propriâ , egrediatur.

### S. XXI.

Antequam autem ulterius progrediamur, quæri-  
tur meritò h̄ic loci , quidnam mucosa illa crassa visci-  
daque sit materia, quæ magnâ plerumque copiâ in dys-  
enteriâ excreta conspicienda datur? Ut nostram af-  
feramus sententiam , dicimus mucosam materiam in  
dysenteriâ partim pro nutrimento intestinorum irri-  
tatorum proximo ex intestinis læsis destillante, sed de-  
pravato & cum iisdem excoriatis aut exulceratis asfi-  
milari inepto, nunc sub formâ muci, nunc saniei, nunc  
puris in cavum eorum destillante, prout diversi hujus  
sunt gradus & corruptelæ; maximè verò omnium  
pro sanguinis sero laudabili æquè, ac corrupto haben-  
dam esse, à glandulis intestinorum copiosissimè secre-  
to, inque horum cannalibus plus minusve coagulato,  
aut minus magisve, aut omnino non misto. Fibro-  
sum illud, quod excernitur, vel gelatinosæ aut visco-  
sæ existunt sanguinis partes, aut per fermentatio-  
nem p.n. inductam, aut aliud quoddam peregrinum  
miasma ita dispositæ, ut per glandulas intestinales co-  
piosius trajectæ ac secretæ, hinc genio & texturâ con-  
gruâ defraudatæ, in ejusmodi ex filis quasi ac fibris  
compacta corpora secedant; vel sunt propriè & re-  
verà ramenta aut fibræ intestinorum, sive de crustâ  
istâ, quæ horum carni obducitur , seu recti tunicâ  
crassâ. Pellicularum seu ramentorum per anum de-  
jectionem, quam plurimi testantur Authores, statui-  
mus esse exsiccati quasi, & ab acido peregrino coacti ac  
coagulati fæculas: vel, ut alias loqui amant, humo-  
rum viscidorum , crassorum tenaciumque producta.

Quibus

Quibus conferre haud pœnitentibit, quæ de hisce pelli-  
bus in hysterics etiam reperiundis experientia Per-  
celebris Viri Excell. Dni Præsidis communicavit in  
Disput. Inaug. de Idolo Muliebri in vulgò ita dictâ  
Passione Hystericâ. In illis nimurum æquè, ac in his  
humores lenti admodum, ob tonum forsan intestino-  
rum laxatum illorum tutò undique seu toti fistulæ  
adhærescentes, à morâ diuturniori junctâ acoris ca-  
lorisque p. n. manu, magis magisque inspissati, & à no-  
vis sensim adventantibus particulis aucti ac crassiores  
facti fuére, servata ob continuum contentorum in-  
testinalium transitum apertura; donec vel ab ipsâ na-  
turâ, vel remediis stimulata intestina peregrinum  
hunc hospitem de sede suâ deturbent, sicque, eva-  
cuatâ materiâ, intestinorum ramenta tunicasque re-  
fert. Ex parte etiam præter ramenta & pelliculas  
istius modi ipsa intestinorum substantia crassiuscula,  
seu caro quasi frustulatim erosa maximis cum dolori-  
bus torminibusque rejicitur. Carunculæ autem,  
quarum passim apud Authores fit mentio, sanè sub-  
stantiæ intestinorum, ac quidem membranosæ non vi-  
dentur esse, sed esse potius glandulas intestinales tu-  
mefactas, & progressu morbi à substantiâ intestino-  
rum separatas, & sub excretarum carnium sive mo-  
lecularum carnosarum formâ conspicuas, cum plu-  
rimis aliis certò nobis persuademus.

### §. XXII.

Signa prognostica alia sunt salutis, mortis alia,  
quorum pauca afferre prælens modo institutum postu-  
lat. Majus certè periculum imminet, ubi maligna,  
secus ubi benigna dysenteria incumbit. Si tenuia  
afficiantur intestina, mala est; tormina enim, dolo-  
res

res & inquietudines secum vehit vehementiores & acutiores. Ventriculum, quia vicinus proximus, ad confusionem consensumque simul dirigit, unde in principio vomitus biliosus, qui ferè jungi solet cum singultu in progressu morbi in dysenteriā perseverans deterrimus, & cibi fastidium cum amarore oris &c. Quod si utraque intestina de statu hoc miserè conquantur, omnis concidit spes; supereft autem & affulget, si modò occupentur crassa. Dysenteriam, quæ à caußâ internâ ut ab atrâ & porraceâ, ut vocant, bile incipit, ac derivatur succus corrosivus acidissimus, valdè rodens intestina, exitiosam tradit, omnium tamen crudelissima à pituitâ acidâ, atque falsâ; quoniam tenax & abstersu difficilis. è contrario autem non adeò periculosa, sed curatu facilis à flavâ bile, aut cibis acrioribus, aut fructibus horæis, aut aliâ quâdam caußâ externâ perveniens. Si epidemica, præsertim maligna, pejor sæpissime eorum solet esse conditio, qui ab ægrotantibus effluvia magna, ut cum vulgo loquar, attraxerunt, quam qui solummodo contagio per aëra sunt inquinati. Hæc cum febre juncta, aut si, quæcumque fuerit, superveniat febris, aut quæ adsit, intendatur, malum est, inflammationis plerumque aut insignis intestinorum corruptelæ signum. Crebrior fæcum excretio & excrementorum aut suâ sponte aut per adhibita medica menta in meliorem eumque naturalem magis statum redditus salutem dicit; pessimam verò horum conditionem nunciant dejectiones sinceræ, nigræ, porraceæ, graveolentes admodum ac variæ; lethalem omnino, si veluti carunculæ prodeant. Neque minus periculum vitæ præsagiunt, simulque mortem

præ foribus augurantur, larga sanguinis puri effusio, fitis intensa, magna hepatis aut ventriculi inflammatio, vigiliæ contumaces, convulsiones ac deliria supervenientia. Mali ominis sunt, macularum regressus, sudores frigidi, lipothymiae, pulsus languidus, frigus extremorum continuum, cum vel sine madore, utcunque actiones videantur vegetæ nimis, animusque præsens. Dolor vehemens cum caloris sensu & abominis tensione, hujusque notabili elevatione diutinus, remediis minimè cedens, mortis oppetendæ expectat tempus, sicuti etiam sæpè, quæ indolens occurrit dysenteria, quo ipso intestinorum gangrænam ostendit, estque in dysentericis præcipua mortis causa. Quod si lienteriæ aut aphthæ dysenteriæ diuturnæ superveniant, mala nimis, atque ut plurimum lethalia sunt indicia; sin autem maculæ nigræ vel tubercula post aurem appareant, miserum funestumq; instat fatum. Si urgeat tenesmus cum paralytico ani hiatu, ob ani sc. sphincterem resolutum, ita ut clysmata injecta statim elabantur, aut cum tantâ ob præsentem tumorem adstrictione, ut nihil prorsus intromitti queat; mox tamen admittendus erit supremus dies, qui extinctionem afferat; lætus vero excipiendus tum, cum ruetis seu crepitus ventris erumpere rursus sentiuntur, ope fermenti redeuntis suo modo in ventriculum, & digestionem primam restaurantis. De reliquo, senes & pueri hoc morbo corrupti frequentius pereunt, quam mediâ ætate constituti. Mulieribus uterum gerentibus minatur abortum; superveniente tamen partu legitimo subinde solvitur, utpote qui etiam ante partum salutaris non unquam observatur. Sit autem hoc in casu dysenteria

ria benigna, non maligna (etsi gravidis quædam non lethalis consignata fuit ævis rara) non nimis gravis neque longè ante partum; alias periculo ingenti vitam in discrimen, seu certam pacem lethiferam vocans. Similiter latis periculosa est, quæ scorbuticos invadit, aut qui non adeò sana in corpore sano fovent viscera. Tales ut plurimum extinguntur. Quorum occasione nolumus prætermittere, dysenteriam quandoque etiam in alienam planè morbi transire speciem. Tempus durationis, quod adhuc superesse videtur in dysenteriâ, non poterimus determinare, utpote quod commodissimè omnium diversa caussarum aëtititas, enarratumque circumstantiarum concursus & absentia facient. Interdum satis chronica evadit; præterquam enim quod aliquot hebdomadum dysenteriæ frequentiores existant; ad plures usque menses imò annos durasse loquuntur tot apud authores exempla.

### S. XXIII.

Quibus hæc tenus allatis, jam modum & media, quibus curatio institui posse, consideraturi, ut ex votu illa succedant, crebrò priùs & accuratè animadvertisamus necesse est, utrum benigna, an maligna sit dysenteria? siquidem non in omni eadem valet mendendi ratio, prout etiam diversa esse cupit, si vel à caussâ internâ, vel externâ, hæcque vel ab assumtis incongruis acribus, vel à contagio nata, & peculiaris in hoc, vel illo subiecto cacochymico attendi velit. Curatio morbum, ac ejus causam coniunctam respicit; hinc cum duplice in dysenteriâ inveniri morbum superius S. 5. indigitaverimus, distinctas quoque observabimus morbi, sanguinis, ac intestino-

rum indicationes, ita quidem, ut ille ceu primarius generatim indicet, in utrâque dysenteriâ sanguinis crasis, quantum & quâm primum fieri potest, esse restituendam, speciatim verò 1. Orgasmum seu motum sanguinis p. n. turgescensem in dysenteriâ epidemicâ compescendum. 2. Malignitatem educendam, seu præter naturale & hostile illud, quod vellicando intestina spiritus turbat, ex sanguine removendum ac corrigendum esse: in benigna autem 1. Humores in sanguine peccantes alterandos, corrigendos, & 2. pariter (per loca convenientia) proscribendos esse. Alter porrò morbus intestinalis, ut secundarius suppeditat indicationes 1. Ut horum irritatio sistatur, simulque sensus doloris molestissimus sedetur. 2. læsis intestinalis prospiciatur. Si itaque medendi methodum in ipsâ utriusque hujus morbi coniunctione servandam spectemus, tria præsertim Medico notanda ac exequenda injungi colligimus. Ac quidem 1. irritatio intestinalis tollenda, ac provocatus indè spirituum impetus cohibendus est, idque tam acria corrigitibus, quam anodynus sensum doloris nonnihil sopiendo. 2. in benignâ laxantibus abluenta intestinali; in malignâ verò præcipitantibus ac blandè sudoriferis ventilanda massa sanguinea, tunc præcipue, cum miasma contagiosum eliminandum est. 3. damnum intestinalis illatum debit is vulnerariis, it. adstringentibus, sive stypticis similibusque refaciendum.

### S. XXIV.

Pro his scopis rite obtinendis, quoad primum (<sup>a</sup>) pungentem humorum acrimoniam in primis viis latitantem corrigit medicamenta, quæ nunc absorbendo ac præcipitando, nunc abstergendo & minuendo

do humores acidos & corrosivos vim suam exerunt. Dabimus autem èd melius singulis subjectis convenientia, si antea probè investigatum fuerit, num eorum magis ad serosam, aut biliosam, an verò pituitosam acrimoniam inclinent corpora. Si acrimonia peccet serosa, auxiliantur *Bolus Armen Terr. sigill. Corall.* *Matr. Perl. Cinis ac Lap. 69. Putam. ovor. testud. s. cochl. hort.* *Umbil. mar. C. C. ac Ebur usf. & ppt. Oss. hum. calcinat. sepiæ,* *Dens hippopotam.* atque hujus loco *Unicornu ver. pp. &c.* Cum hisce, quia in genere omne acre acidum suo mododestruunt, opportunè conjunguntur, & juvabunt, si acrimonia emerserit biliosa, *Aq. portulac. tormentill. plantag. Syrup. myrt. Crystall. ppt. &c.* si incumbat pituosa, cum convenientibus aliis propinari simul possunt *Aq. menth. meliss. bacc. laur. junip. Rad. Zedoar. pimpinell. N. M. Mac. Cinnamom &c.* quæ non modò humorum acrimoniæ resistunt, sed ventriculi quoque digestioni, quæ non rarò in hoc affectu vitiatur & corrumpitur, optimè ac singulariter inserviunt. In totâ enim dysenteriâ curâ summa semper stomachi habenda est ratio, ne, quò magis ille furit, èd pejor sit status morbi, & pessima insuper expectemus signa. Deinde (β) ex anodynîs & narcoticis commendari volunt, merentur ac debent polychresta opiate; etsi sunt, qui ejus in hoc affectu usum planè abominatum velint. Omnes enim ferè moderni, & quidem rectè curam in dysenteriâ semper ab anodynîs & narcoticis incipiendam suadent. Suntque talia vel ipsum *Opium correctum*, vel *Laudan. opiat. Essent. an od. &c. va-*  
*rior. it. Theriac. Mithridat. Diascord. Fracast. &c. it. Pa-*  
*paverina &c.* ad quæ accedit *Crocus*, cuius essentiâ præstantius nihil in hoc casu inveniri asse-

runt. Quod verò ad modum exhibendi opiata at-  
tinet, & insigne ulterius, quā in hoc affectu pollut,   
efficacia, placent mens & verba, quibus præivit Vir  
Celeberr. Dn9 Etmüllerus *Colleg. Praet. Sect. IX c. 3.*  
*art. I. p. 129. & 136. Oper. Tom. II. p. I. edit. 1708.* Non dan-  
da sunt, inquit, *opiata in principio sola*, sed potius aliis,  
præsertim appropriatis mixta, idque in specie specificis & ab-  
sorbentibus sudoriferis in maligna: item, si opus fuerit, blan-  
de intestina abstergentibus, in specie Rhabarbaro in benigna  
jungi debent, vel purgantibus vespera antecedente præmittun-  
tur, ut sic melius & tutius operentur. *Vel quod melius, præ-*  
*missio laxativo, una & altera vice (quod commodius manè porri-*  
*gitur) ad somnifera & opiatæ (quæ tutius & consultius sub no-*  
*ctem dantur, quia raro de die agunt; noctu vero felicius ægri*  
*dormiunt, ac quia circa noctem ordinario exasperatur dysen-*  
*teria) accedendum, & in horum usu perseverandum, nisi ubi*  
*urgeat malum; tum enim mitigatis utcunque opio symptomati-*  
*tibus blanda laxatio subjungenda, opio hic usurpato. Signum*  
*autem remittentis mali est, si ab opiatorum usu pcdetentim so-*  
*mno naturali corripiantur ægri.* Quibus addendum (v)  
quod, cum excretio in dysenteriâ sit convulsiva &  
spasmodica, experientia ac ratio doceant, *ante pilepti-*  
*ca temperata & hîc cum opiatis non absurdè exhibe-*  
*ri, v. g. sulph. Lycopod. U. C. verum, Ungul. alc. Succinata,*  
*Castoreata &c. ac quod tam pro scopo temperandi hu-*  
*mores acres, obtundendo destruendi sistendique in*  
*intestinis irritationem, quam mitigandi dolores pau-*  
*cis memoranda veniant pinguis ac quasi talia Oleosa,*  
*Lacticinia, it. Adstringentia seu Styptica, & Vulneraria;*  
de quibus postmodum.

## §. XXV.

Quoad secundum ex scopis, illud, quod intestinis  
adhæ-

ahæret & aliundè affluit, sine metu *purgabimus*, circumstantiis autem circa purgantia sequentibus probè trutinatis. (α) Non quovis tempore imperamus purgantia, sed ab initio, & quando adhuc vires constant; (β) Dysenteria sit potissimum benigna, non maligna. (γ) Sit sine febre aut inflammatione aliisque gravioribus symptomatibus. (δ) Si lateat, & clam regnet ca-cochymia (ε) Si ab assumtis aut cruditatibus ventriculi malum originem ducat. Dein humores noxios gradatim temperare conveniet, & foras ejicere, non quidem potentioribus catharticis, sed blandioribus & paululum *adstringentibus*, vel semel, vel eadem cæteris paribus iterentur, donec sentina morbi sit exau-  
sta & interjectis roborantis ventriculum & particu-  
las noxias ex intestinis & sanguine removentibus de-  
turbantibusque. Inter pharmaca sufficit *Aloë*, facile  
autem cæteris palmam surripit *Rhabarbarum*, quod  
tutum est, nunc crudum, nunc parum tostum, ut  
partibus volatilibus exhalatis reliqua substantia inte-  
reà styptica minus laxet, & *Myrobolani*, quamvis pro  
quantitate & qualitate eorum, quæ dejiciuntur, varia  
electio atque præscriptio esse debeant. it. *Rad. Falapp.*  
*Tamarindi*, *Cassia &c.* & pro ratione circumstantiarum  
purgantia *mercurialia*, præsertim si bilis nigra purgan-  
da ob *mercurii sc. vim*, qui acida ab alcalibus etiam fi-  
xißimis segregat, cæterisque corporibus, quibus cum  
arctè cohæret. Neque etiam, qui purgantium vices  
gerunt, *Clysteres* nos vocamus cum Helmontio reme-  
dia in dysenteriâ belluina, aut peregrina intestinis  
dicimus, aut emungere è venis cruentem credimus,  
sed subscribimus, qui illos à contemtu arcent, eos-  
demque aut anodynوس atque maximè necessarios judi-  
cant,

cant, pro scopo sc. materiam acrem temperandi, do-  
lores mitigandi, proque muci aceroris firmiterque ad-  
hærescentis copiâ educendâ. In crebuerunt in hoc  
affectu utilitatis famâ Clysteres vel ex solo lacte cruda,  
vel, si opus, chalybeato c. ovor. vitell. vel album. & syr. rosat.  
vel Decoctionis fl. chamomill. ros. rubr. cap. papav. fol. hyoscy-  
am. sem. psyll. sumach. &c. aut rad. symph. cum theriac. aut  
sevo hircin. dissolutis, speciatim clysteres terebinthinati.  
Conferunt quoque clysmata consolidantia ex. Decoc.  
herb. vulnerar. vel jure aut succo cancror. fluviatil. c. Bals.  
Peruv. ad 3i. c. vitell. ov. solut. Emetica verò eatenus  
plane rejicimus, quatenus per illa materia versus in-  
testina superiora & ventriculum invitari, imò plane  
cogi queat. Ast nonnunquam in initiis statim move-  
re vomitum nulli dubitamus in subiectis ad vomitum  
proclivibus, ægrisque eidem facile auscultantibus vi-  
ribusque salvis. Fieri potest, si suspicio adsit cacochy-  
miæ & humorum in ventriculo molestæ faburræ, si  
morbus fuerit ab assumtis; vel à veneno, vel à phar-  
maco maligno, portione eorum adhuc in ventriculo  
existente; si denique in malignâ contagium inspiran-  
do haustum ventriculum saltem adhuc obsideat.

### S. XXVI.

*Sudoris* tam per se, quam diaphoreticis seu sudori-  
feris provocati in dysenteriâ epidemicâ malignâ in  
specie habendam esse rationem serio cum plerisque  
statuimus. Jubemur certè ejusdem in curâ, quæ in  
febribus continuis & malignis servari vulgo solet,  
methodi esse memores. Emendabunt proinde tales  
dysentericos non solum diaphoretica seu sudorifera,  
sed & alexipharmacæ non parum tribuent, quæ noxios  
& obnoxios miasmati humores in sanguine stabulan-  
tes

tes & vagabundos & intestinis inhærentes emendandi  
vi pollent, simulque peregrini hospitis mores inurba-  
nos coërcent, mitigant, obtundunt, abstergunt. Pro-  
derunt in primis scordium, scorzonera, contrajerva, bistorta,  
sambucus ejusque rob., sem. citr. & aquileg. bacc. junip. rad.  
chin. lign. sassafr. &c. exque his parat. Aq. simpl. spir. &  
Tinct. Bezoard. Varior. illa potissimum, quam Excell.  
Dnus Præses nostram vocat. Quibus etiam accensen-  
da C. C. f. Δe, spir. ejus simpl. & Compos. nec non Θvol. U. C.  
fossil. & ver. Lap. Bezoard. it. Bol. Armen. Corall. Terr. sigill.  
Ωdiaphor. f. & comp. Bezoard. min. var. comp. Fl. ♀ris ejusque  
Balsam. juniperin. succinat. aut alio modo parat. Bulveres ppt.  
Bezoard. varior. tam rubro, quam albo superbientes colore.  
Mithridat. Theriac. atque ipsum opium correct. singulari  
modo exhibitum, cui Massa quoque pilul. Bezoard. Ex-  
cell. Dni Præsidis tanto titulo præ aliis, & qui superest,  
digna annumeranda erit.

### §. XXVII.

*Venæ sectionem circumspetè in hoc morbo esse ad-  
ministrandam, quemadmodum omnes Practici mo-  
nent, sic & nos in eo non sumus difficiles, ut nostrum  
quoque ipsis adjiciamus calculum. Dubitamus, an his  
præsertim in locis imitandus Sydenham in praxi suâ me-  
dicâ experimentali. s. opusc. univers. med. p. n. 226. edit. Lips.  
,, 1695. Neque mihi aliud quidpiam, inquiens, incumbere exi-  
,, stimavi, quam ut primûm acres istos humores sectâ vendâ im-  
,, mediate revellerem, quo facto insuper reliquam massam con-  
,, temperarem, tum etiam dictos humores per cathartica subdu-  
cerem. Nos profectò VSionem in utrâque dysenteriâ  
consultius omittendam, quam temerè instituendam  
ducimus; siquidem difficilius corpus sanguine spiriti-  
busque orbatum malignitati resistere; morbo vero*

inquinatum, ob vires per illum imminutas vix & non sine labore convalescere deprehendimus. In benignâ frustranea erit, quia causa maxime in intestinis hæret, quam VSione tollere incassum erit, nec quicquam valet intentio, quæ sanguinis & humorum in ipso contentorum revulsionem notat. In malignâ erit nociva ob allatam caussam, nisi plethora & ætas florens, quæ virium robur, non modò præsens, sed futurum quoque promittunt in morbi principio ad administrandum incitent; sicuti etiam obsequiosi sumus, si fortè sanguinis impetus vehementior urgeat, & subsit maxima inflammatio, dolor intensus, febris cum pulsu pleno & valido.

### §. XXX.

Quoad tertium, ut ultimum prosperè attingamus scopum, adstringentibus, ut talibus, non citò utimur, neque hæc in principio, uerè progressu morbi quicquam valent; sed tum demum usurpare licet, cum fermentum dysentericum probè correctum totum ex corpore eliminatum, seu particulæ illæ aciores jam correctæ & evacuatæ fuerint; quia alioquin gravius incurritur malum, ubi retinemus illa, quæ fomitem ulteriori inflammationi obstructione, & quæ aut vitiando lympham, aut afficiendo genus nervosum (huic in specie inimicæ) occasionem affectibus pravis & symptomatis præbent. Quod si verò nimis aliquandò inequatur fluxus, ægerque haud periculo præ virium defectu careat, adstringentia adhibeantur, ut hoc modo, quantum fieri potest, in casu valdè præcipiti infirmus libetur, posteà aliis restaurandus. Laudantur Herb. *plantago*, *pimpinella*, *sanguisorba*, *lysimachia*, *potentilla*, *millefolium*, *centinodia* seu *polygonum*, præsertim *Polonicum cocciferum*, cuius grana insigniter commendantur, *bursa pastor*. Rad. *acacie*, *tormentill*. *filipendul*. *bistort*. *Folia querc*, *Fl. rosar*. *balaust* *papav*. *rh*. *bellid*. *hyperic*. Sem. *aquileg*. *plantag*. *portulac*. *nasturt*. *Mala Cydon*, *Mespila*, *Myrtilli*, *Spong*. *cynosb*. *juli* *corylor*. Tunic. int. rubr. castan. & avellan. Gland. quern. Nuc. assat. ant Calyces ppt. N. M. Bol. Armen. Terra sigill. Catechu, Argill. fornac. rubr. seu fumar. cuius decoct. c. lact. chalybeat. non satis laude dignum, etiam in clysteribus remedium; nec rejiciendum ein Stüdt von einer alten (NB. gerauchten schwarzen) Toback's Pfeiffel

Pfeiffe / ut cuius vim in dolore etiam colico vulgus præstan-  
tem novit, *Alabastr. cand. Croc. & tis adstring. Sacchar. Saturn. & Alum-*  
*erud. in vin. rubr. vel lact. vaccin. &c.* aliaque, prout necessitas &  
gravitas morbi exigunt, diversimodè miscenda, adhibitis simul  
memoratis vel aliis præcipitantibus seu absorbentibus alexi  
pharmacis, aut, si opus, aliquo modo abstergentibus. Atque  
his ritè adhibitis & mitigato malo, pro restituendâ tandem o-  
mni intestinorum noxâ, in declinatione morbi arcessenda *vul-*  
*neraria*, quibus nempè hæc abstergantur, consolidentur & pu-  
rificetur sanguis. Cavendum verò, ne larga nimis consoli-  
dantium, eorumque fortiorum adhibeatur dosis, ne facilè inte-  
stina venarumque lactearum obstruendo oscula colicum dolo-  
rem lethalem, observatum quondam, inferre potis fit. Com-  
modiora ex illis nominamus *Rad. symph. maj. Fl. hyperic. Herb. ve-*  
*ron. heder. terrestr. pyrol. &c.* sanat lac sæpius haustum in principio  
ferosius abstergendî, quale *caprillum*: in progressu lacteum  
consolidandi & glutinandi fine, aut solitarium, addito tantillo,  
ne coaguletur, *sacchari*, aut *chalybeat*, & incoct. *rad. symph. maj. & tor-*  
*mentill.* aut hujus loco *Lac amygd. dulc. & sem. five emuls. c. aq. chalybeat.*  
*parat.* quò melius oleofitas acidum involvat, viresque ejus ob-  
tundat. Præ ceteris eminent Balsamica, ut *Bals. & ris terebinth.*  
*it. Peruv.* in vomitu inhibendo dysentericis molesto non tantum  
egregius, sed intestinis lœsis etiam mirè conducens, vel in for-  
mâ *pulv. c. sacch. & corall.* vel in *vitell. ov. dissolut.* ad 3*lb.* Subveniunt  
itidem *Ol. cerae*, vel *ipsa cera in calido juscule soluta, ovum sorbile c. bu-*  
*ttyr. rec. non salit. sumt. gumm. tragacanth. Arab. & sim.*

### §. XXIX.

Quæ omnibus hæc tenus recensitis annectenda forent,  
quæ specificâ virtute huic morbo opposita dicuntur remedia,  
vel quod uni simul, ast eximiè, vel pluribus unâ intentionibus  
satisfaciant: item symptomata mitiganda, quorum tanta non  
rarò in dysentericis notatur atrocitas, ut subitò horum vires  
prosternantur. Verum cum brevitati studeamus, quoad pri-  
mum, evolvendi erunt Practici in his enarrandis plerumque  
multi, posterius verò judicio & experientiæ prudentis Medici  
relinquimus. Unicum tamen tangemus *Tenessum ex muco*

aci acido intestinum rectum stimulante, symptoma dysenteriae notissimum, molestissimum ac fermè ordinarium, ad quem tollendum, aut comitantem excoriationem aut exulcerationem mundificandam, & consolidandam, præstantius nil occurrit Bals. *Aris terebinth.* sive *intra sive extra admoto.* Cæteroquin etiam pensi habent *Ol. cer.* *Q lat.*, cui alii substitutum volunt melius *Bals. peruv.* *Rad. sigill.* *Salomon.* in *vino rubr.* *coct.* *anoque intrus.* *Decoct.* *Verbæ.* in *lacte*, *fol. querc.*, illud cum *spongiâ* & *linteis* multiplicatis, hoc tam cum *spongiis*, quam in formâ *sacculi* apponendum, suffitus anno exceptos *ex aceto fervente lateri affuso*, vel thure & pice super *prunam projectis*. Ani procidentiam restituunt fomenta varia, quæ inter non infimum *Decoct.* *irid.* *fol. querc.* *parietar.* *cicer.* *rubr.* *fl. verbasc.* cum *aq.* *ferrarior.* vel *lacte chalybeat.* parat. ut & minimè contemnendi *asseres querni*, probè in *furno calefacti* *pulvere mastich.* *conspersi*, insidente, quamdiu ferri potest, ægro.

### §. XXX.

Ex his itaque omnibus jam enarratis varia remedia composita pro externo pariter ac interno usu concinnanda forent; sed quia & hîc loci prudentis Medici est, formulas pro ratione caussarum, circumstantiarum, ætatis atque sexus conditione componere ac variare, sua cuique in his conscribendis relinquitur libertas, quam etiam nobis hoc modo vendicamus. Et quemadmodum omnibus subiectis non omnia conveniunt medicamenta, ita nec omnibus, si symptomatum ægrorumq; idiosyncrasia curam geras, eadem diæta observari potest. Hæc ergo in præsenti sufficient.

